

Heinrich Rahn Melchior Hansen

Dissertatio Inauguralis Ad L. Un. Cod. De Mutatione Nominis

Rostochii: Kilius, 1658

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766621324>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.
Z 16.7

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

42.18



55
a

I. N. D. N. J. C.
DISSERTATIO INAUGURALIS
AD L. UN. COD.
**DE MUTATIONE
NOMINIS,**

QVAM
AUTORITATE AMPLISSIMI ICTORUM ORDINIS,
PRÆSIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO ET CONSULTISSIMO

DN. HENRICO RAHNEN,
J. U. D. PROFESSORE, & h. t. VICE-
DECANO; NEC NON DUCALIS CONSI-
STORII ADSESSORE GRAVISSIMO,
FAUTORE SUO HONORANDO.

PRO LICENTIA
CONSEQVENDI SUPREMOS IN UTRO-
QVE JURE HONORES,
IN ILLUSTRACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD DIEM XVIII. MART. AN. dō 18 c LIIX,
ANTE ET POST MERIDIEM

EXAMINI PUBLICO SUBMITTIT
MELCHIOR HANSEN,
SLESVICENSIS.

ROSTOCHII, CHARACTERE KILIANO.

Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including names like 'DR. HENRICO RABINER' and 'M.B. OHLER HANSEN'.



ADMODUM REVERENDO GENEROSO ET MA-
XIME STRENUO DOMINO

DN. JOHANNI ADOLPHO
K I E L M A N N O

A KIELMANSECK,

HEREDITARIO IN *SAEPPHEDEN*

ET *OBDORE*/

ECCLESIAE CATHEDRALIS, QUAE EST
HAMBURGI, PRÆPOSITO,

SERENISSIMI SLESWIC. ET HOLSATIAE DUCIS

CONSILIARIO INTIMO, CAMERÆ DIRE-

CTORI, CANCELLARIO AULICO,

NEC NON PRÆPECTO IN

Morkirchen/ Dolroth/ & Langstede.

DN. AC PATRONO SUO MAGNO.

DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM

IN

DEBITÆ OBSERVANTIÆ TESTIMONIUM

ET

SUI COMMENDATIONEM

EA, QVA PAR EST, HUMILITATE

DICAT

CONSECRAT

MELCHIOR HANSEN.



I N, D, N, J, C,
DISSERTATIONIS
INAUGURALIS,
DE
MUTATIONE NOMINIS.

POSITIO I.



Veritatem, quæ basis
& fundamentum justitiæ,
murusque inexpugnabilis, u-
nam & simplicem esse in com-
perto est, immutatio verò si-
ve suppressio ejus, quæ nihil
aliud est quam falsitas *Nov. 73.*
pr. tam varia & multiplex, ut
certis regulis includi non pos-

sit. Variis enim modis, etiamsi expressa legislatio de-
ficiat, crimen falsi committi posse nullum est dubium,
sufficit enim hic generalis Legis Cornelie notatio, quæ
omnem dolosam veritatis immutationem, in præjudi-
cium alterius factam, puniri jubet *l. l. 23 ff. ad L. Cornel. de*
fals. Communiter DD. solent distingvere, quod falsum
committatur vel in rebus, vel in personis; ita ut ad pri-
mam speciem redigatur falsum monetæ, scripti, mentu-
ræ, aliarumque rerum; ad alteram verò, partus sup-

A

po-

positio, falsum testimonii, & nominis. *Treutlerus Vol. 2. disp. 32. th. 8.* De qua ultima specie Mutatione nimirum nominis, exstat Constitutio Imperatorum Diocletiani & Maximiani *in l. un. C. de mutat. nomin.* cujus resolutionem, autoritate Amplissimi Jctorum ordinis, loco Disputationis Inauguralis, publico examini submittere animus est. Ut autem institutum nostrum feliciter succedat, adsit propitius is, sine cujus auxilio nihil prudenter auspicamur, multo minus perficimus.

II.

Antequam autem ad ipsius textus anatomiam perveniamus, quædam, quâ occasione & quando nominum mutatio quondam cœperit, præmittere placuit. Historicos itaque cum consulimus, constat, morem hunc inter Christianos non primum invaluisse, sed & Hebræis, Græcis aliisque Gentibus placuisse, prout testatur *Joseph. lib. 10. antiquit. Judaicar. cap. 12 pag. mibi 274.* Apud Romanos prima nominum mutatio hæc fuit, qui aliunde Romam commigrabant, ut civibus placerent, ac proinde faciliori negotio civitatis Jura consequerentur, nomina sua ad formam eorum, quæ in urbe plerumque observabantur, aptarunt. *Hoping de Insignium jure, cap. 21. §. 5. n. 154.*

III.

In Sacra Scriptura quoque varia hujus mutationis exempla exstant, sic Salvator noster Simoni aliud nomen imposuit eumque Cepham, sive Petrum vocavit, quod & filiis Zebedæi, postquam ad Apostolatam vocati essent, contigisse legimus *Johan. 1. v. 42. & Marc. 3. v. 17.* Referunt & huc nonnulli Saulum, existimantes, eum cum moribus nomen suum mutasse & Paulum dictum fuisse. Sauli nomen ipsi in circumcissione impositum fuisse

58
fuisse certum est; Eo enim nomine appellat eum Christus in conversione: Saul, Saul, quid me persequeris. An autem post conversionem nomen ejus mutatum sit, non eadem omnium est opinio, quâ de re vide *Baldwin. in Commentar. ad Epist. Paul. in prolegom. Besoldum Thesaur. pract. voce Namen.*

I V.

Pontifices Romanos ad summum pontificatus gradum ascendentes, antiquo nomine deposito novum assumpsisse ex historiis & vitis Pontificum notum est, quando verò hanc nominum variationem inceperint, non una omnium est sententia. Communiter eam Historici ad tempora Gregorii IV. referunt, cujus successor Os porci vocatus Pontifex factus ad declinandam nominis turpitudinem & infamiam, sibi Sergii nomen imposuisse scribitur *Hoping d. loc. n. 159.* ibiq; citati Auctores; à qua communi opinione secessum facit *Albertus Abbas Stadensis*, qui (referente *Hoping*) in *Chron. pag. 34.* Gregorium IV. Sergii II. antecessorem Os porci vocatum scribit, adeoque ab eo primam nominum mutationem invaluisse. *Onuphrius* verò *Pamvinius* in annotationibus suis ad *Platinam de vitis Pontificum* in vita Sergii II. & Johannis XIII. ex *Anastasio Bibliothecario* ejus ævi scriptore refert: *Sergium II.* ante pontificatum idem nomen tulisse, & se primum invenisse *Johannem XIII.* qui Papa creatus priscum nomen mutavit. Plura exempla ex antiquitate petita qui habere desiderat adeat *Hoping. dict. loc. Limæum Jur. public. lib. I. cap. II. a. n. 45. ad n. 79* & *Majoragium in Oratione sua, in Senatu Mediolanensi, cum de mutatione nominis accusatus fuisset, habitâ.*

V.

Hodie morem hunc adhuc observari, dubitare nos non sinit quotidiana ferè exempla: & quidem, Pontifices quod attinet, moderni Pontificis Romani, qui Romanum nomen Fabii, à Sacerdote in Baptismo sibi impressum, Græco ac exotico mutavit, & se Alexandrum septimum vocavit, qua de re vide *Glossam ordinariam in certi cujusdam Autoris ad literas circulares Alexandri Papæ Septimi*. Ex privatis quoque multos licentioso hoc seculo reperire licet, qui pro lubito nomina sua, vel factâ aliqua literarum transpositione, vel aliunde de promptâ variatione, mutant, ita mox videbis Eberhardum à Weihe, mox Durum de Pasculo, mox Waremundum ab Ehrenberg, mox Mirabilem de bona casa unum eundemque politicum constituere *Limneus supr. cit. loc.* In Gallia quoque ex communi observantia apud primogenitum bona feudalia, tituli, insignia & nomen familiæ tantum remanent, secundo verò vel tertio genitus, aliud sibi nomen ad constituendam differentiam pro libitu imponit. *Chassaneus catal. Glor. mund. part. 1. confid. 38. conclus. 20. 37. & 39. Arnsæus de Republ. lib. 2. cap. 2. Sect. 8. n. 74. Tiraquell. de Jur. primogenior. in præfat. n. 3.*

VI.

Præmissis ita præmittendis accedimus ad textum ipsam, cujus summam his expressit verbis Baldus. *Mutatio nominis non fraudulosa libero homini est permessa*. Constitutio ipsa in partibus tam externis, quam internis ita habet.

Impp. Dioclet. & Maxim. A. A. &
C. C. Juliano.

Sicut in initio nominis, cognominis, prænominis, recognoscendi sin-

58
di singulos, impositio libera est privatis: ita eorum mutatio innocentibus periculosa non est. Mutare itaque nomen, vel prænomen, sive cognomen, sine aliqua fraude, licito jure, si liber es, secundum ea, quæ sæpè statuta sunt, minime prohiberis; nullo ex hoc judicio futuro. S. 15. Kal. Jan. A. A. & Conss.

VII.

Externam partem constituit inscriptio sive Epigraphæ, quæ talis est *Imp. Dioclet. & Maxim. A. A. & CC. Juliano*, quibus verbis exhibentur nomina Imperatorum rescribentium, tum ejus, qui rescriptum hoc ab iis impetravit. Quemadmodum verò aliàs non parum expedit in autoritatem & autores inquirere, ita vel imprimis in constitutionibus Imperatorum enucleandis plurimum momenti situm est in investigatione quibus Imperatoribus quæque debeantur. *Excellentissimus Dn. D. Tabor in Armentar. Justinian. de aphoplismo cap. 2. n. 3.* Illustres autem constitutionis hujus autores fuere Imperatores Diocletianus & Maximianus, quos (ut mihi liceat cum *Arniseo libr. 2. de Rep. c. 2. Sect. 2. n. 18.* loqui) ex insveta regnantibus concordia ad modum commendat *Mammertin. in panegy.* Et *Pomponius Latus* refert, tantam fuisse in gubernanda Republica inter hos Principes concordiam, ut alter alteri, quamvis semper honesta cupiebant, nunquam repugnaverit; sed Maximianus, ut filius patri, Diocletiano semper optemperaverit; Evectus a. est ad Imperii Romani fastigiū Diocletianus An. Chr. 284, & solus per biennium, mox cum Maximiano, quem ob imminetia Imperio pericula Anno Chr. 286. sibi asseverat per 18. annos Rempublicam administravit, donec ambo ad privatam redeuntes vitam successoribus suis gubernacula reliquerint. Occasione ejusmodi inscriptionum, quæri solet, an & tum Imperii status man-

ferit Monarchicus, cum Imperatores Imperii consortes sibi adsciscerent? Nonnulli distinctione rem hanc expediunt, an nimirum plures imperent pro diviso, an pro indiviso, h. e. tanquam plures, vel pro uno; ita ut priori casu Monarchia in pluralitate vel dualitate non possit constitui, posteriori nihilominus Monarchia maneat, in quorum numero video esse *Dn. D. Tabor supr. citat. loc. n. s.* sed cum hac limitatione, ut intentio Monarchæ in partem curarum aliquem adsciscentis, apprime spectanda sit. Communiter tamen Politici (quibus & quæstionem hanc, cum nihil, vel certè parum ad explicationem legis nostræ faciat, decidendam relinquimus) Monarchiæ rationem non aliter constare scribunt, quam si uni reddatur, *Didacus Sapedra in Idea principis Christian. politic. Symbol. 70. pag. 600. & seqq. Arniseus supr. dict. loc. & in doct. polit. c. 9.* ubi dicit Monarchiam inter duos dividi non posse. Et certè regna socios ferre non sciunt, quod & *Ovidius* his verbis exprimere voluit:

Non benè cum sociis Regna Venusq; manent.

Persona supplicans, fuit Julianus quidam, persona fortè aliqua privata, constat enim Romanos Imperatores de variis subditorum causis pro tribunali jus dixisse & supplicantibus rescripsisse. *l. ult. pr. C. de legib. Sutholt dissertat. de Jurisdic. th. 190. & seqq.*

IIX.

Internam Constitutionis nostræ partem rursus facimus duplicem, ita ut prima contineat regulam, altera verò ejusdem declarationes, sive limitationes. Regula continetur his verbis: *Sicut in initio nominis, prænominis, cognominis, recognoscendi singulos, impositio libera est privatis; ita eorum mutatio innocentibus periculosa non est.* Ex quibus con-

bus constat, Imperatores nostros, in constitutione hujus
regulæ, procedere argumentando ab impositione nomi-
num ad eorum mutationem. Nomina enim significan-
dorum hominum gratiã reperta, §. 29. *Just. de Legat. l. 10.*
C. de ingen. manumiss., nihil aliud sunt, quàm instrumen-
tã quædam cognitionis, & ad beneplacitum imponi pos-
se nullum est dubium, ut, præter experientiam, testatur
nostra *l. un. C. de mut. nom. ibiq. Salicet. n. 2.*. Sicut itaque
impositio hæc meræ & liberæ facultatis est: ita & muta-
tio *d. l. un. C. de mut. nom.* Quæ regula, multis modis ex-
tendi potest. Nos dicimus eam adeo veram esse, ut et-
iam nonnulli certas ob causas nomina sua mutare tene-
antur: sic, ut exemplis res clarior fiat, servus manumis-
sus patroni, Heres testatoris, Arrogatus arrogatoris no-
men suscipere tenetur, de quibus speciatim quid dicen-
dum sit videbimus.

IX.

Servum manumissum olim patroni nomen assum-
pisse colligere possumus *ex l. 77. §. ii. & l. 88. §. 6. ff. de
legat. 2. l. 38. §. 1. l. 94. de legat. 3. l. 108. ff. de condit. & demonstr;*
quod etiam ex variis autoribus demonstrat *Arniseus de
Rep. libr. 1. c. 3. Sect. 8. n. 17.* ubi dicit: Servos manumissos
transisse in nomen patroni, quod & innuit *Persius Sat. 5.*
inquiens:

Verterit hunc Dominus, momento turbinis exit

Marcus Dama

Apud priscos quoque Romanos libertinos jure aureo-
rum annulorum donatos, sublatis explosisque veteribus
nominibus, ne eorum nota collato honori officeret, ve-
terum Romanorum nomina assumpisse testatur. *Alex.
ab Alex. lib. 2. cap. 19. genial. dier.* Et ex eo *Menock, Arbitr.*

Juda

Jud. quest. libr. 2. cas. 318. n. 7. Hæc tamen nominis mutatio non est evidens servitutis argumentum: nec justa collectio est; nomen mutavit, ergo servus fuit *l. 10. C. de Ingen. manumiss. ibiq. Gothofred.*

X.

De herede quid dicendum sit, non adeo expeditum est, posse quidem aliquem heredem institui sub hac conditione, ut testatoris nomen suo nomini adjungat, constat ex *l. 63. §. 10. ff. ad SC. Trebell.*; an autem nominis hæc assumptio, privativè non verò cumulativè (h. e. ut quis alterius nomen cum proprii desertione assumere cogatur) injungi possit, dubitatione non caret; proprii enim nominis & familiæ vana semper & ambitiosa fuit dilectio, & Reip. quoque interest, familiarum nomina conservari, *l. 1. §. 13. ff. de ventr. inspiciend.* quo etiam tendit *Ghasfaneus catalog. glor. mund. part. 1. considerat. 38. conclus. 46.* existimans, hoc casu multos futuros heredes hereditatem potius deserere, quam familiæ nomen mutare cupientes: quod jam olim in sacris literis *Ruth. cap. 4. v. 6.* factum videmus, ubi consanguineus Booz, cui ager sub hac conditione emendus erat, ut susciperet uxorem defuncti, & suscitaret nomen propinqui sui in hereditate sua, his verbis respondit. *Cedo juri propinquitatis, neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo, tu meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor.*

XI.

His tamen & similibus non obstantibus concludimus, conditionem hanc à testatore adjectam, & quidem addito necessitatis vinculo, tanquam possibilem, honestam, validam, justissimam & ad similitudinem mutationis nominis concessam, sub privationis lege præcise servandam esse & ante hereditatis aditionem adimplendam, *l. 63. §. 10. ff. ad SC. Trebellian. l. 1. §. 2. C. de instit. & substit.*

58

Substit. nec à Principe, cum Reip. inter sit defunctorum, mentes observari, inanem reddi posse *l. 10. C. de testam. est.*, quod enim supra de familiarū conservatione adductum fuit, nobis non obstat, cum nimirum conditionatum hoc testatoris placitum in ipsa nominis & familiæ conservatione fūdatur sit. Et quamvis conditio hæc dura videatur, indetamen non sequitur heredem ad impletionem, ejus non teneri, cum absurdum sit plus tribui heredi, quā testator voluit, *de l. 63. §. 7. ad SCtum Trebell. Tiracquell. de LL. connubiorum, leg. §. n. 27. Fachineus libr. 1. Consil. 52 n. 20. & 21. Tesaurus Decis. 170. n. 9. & seqq.* Annotandum tamen hic erit gravamen hoc, alterius nomen assumēdi, de honesto nomine intelligēdū esse, & turpe nomē, ex gr. Vispellionis semper excludi, *l. 7. & d. l. 63. §. 7. d. tit. Hoping. de Insign. Jur. cap. 8. §. 4. membr. 1. per tot.* ubi etiam addit, quod de heredis institutione hic dictum est, etiam in legatis fideicommissis & majoratum institutionibus procedere. An autem idem in donationibus dicendum sit dubium est, Donatio enim quæ eā conditione fit, si aliquid factum fuerit, vel non fuerit, propriè Donatio non est, *l. 1. pr. ff. de Donat.* unde & Ulpianus in *l. 19. §. fin. ff. eod.* dicit, Donationem, cum onere ferendi nomen disponentis, tanquam ob rem factam, donationem non esse, quia ob rem facta est, & res secuta est. Et talis donatio, cum non sit simplex, sed potius remunerationis speciem præ se ferat, in compensationem oneris, insinuatione non indiget. *l. 27. ff. d. 1. & ibi Gothofredus, Hoping. supr. cit. loc. §. 5. n. 463. Chasaneus catal. glor. mund. part. 1. cons. 83. concl. 46 Zocf. ad ff. tit. de Donat. n. 44.*

XII.

Arrogatione quoque, sive adoptione nomen mutari, *suprà à th. 8. in fin.* diximus, quod & velle videtur JCtus

B

Paulus

Paulus in *l. 3. ff. de cap. minut.* Hinc apud Romanos eum, qui per adoptionem alterius factus familiae, in omnia nomina, h. e. nomen, praenomen, cognomen adoptantis transiisse, ex *Lipfio* docet *Limnaeus de jur. public. supr. cit. loc. Seneca de brevit. vite cap. 15.* Quod nonnulli ex DD. adeo extendunt, ut putent, parentum nobilitatem ad filios adoptivos transire, & arrogatum sive adoptatum a nobili, ipsa adoptione nobilem fieri: sed me in contrarium movet. 1. quod nobilitas, quae a parentibus transit ad filios, sic velut ex traduce, & conuscatione clari sanguinis, adeoq; filiis, qui non sunt de sanguine parentum, accommodari non possit. 2. quod alias in privati arbitrio esset, nobilitatem conferre, quod tamen non concedendum. Nec exinde, quod arrogatus transeat in nomen & familiam arrogantis, recte colligitur, arrogatum esse de sanguine arrogantis, nisi per fictionem, quae hic nihil operari poterit; cum & alias adoptio sanguinis jus minimè conferat, *l. 23 ff. de adopt. Tiraquell. de Nobilit. cap. 15. n. 5. & 6. Wurmff. Exerc. Jur. publ. 4. quest. 13.* Hodie quoq; illustres vel Clarissimas personas sub hac conditione arrogare solere, ut arrogatus nomen & insignia arrogatoris usurper, non aliter, ac si ab ipso procreatus esset, testantur *Hoping. supr. cit. loc. Perozius in Cod. tit. de mut. nom.*

XIII.

Ampliari ulterius proposita nostra regula ex communi observantia potest, quod mutatio haec nominis non tantum permittitur, sed & necessario observanda a foemina, transeunte in familiam mariti. Etsi enim inspecto jure communi, foemina nupta de agnatione & familia patris dici possit; hodie tamen, ex communi consuetudine, non de familia patris, sed mariti dicitur, *Menoeb. Cons. fl. 279. n. 50.*, cujus etiam cognomen, privilegia, & dignitates

rates assumit, *l. ult. C. de incol. l. 13. C. de dignit. l. 8. ff. de Senator.*, foemina enim transeundo in familiam mariti, patris relinquere judicatur, & de descendantibus ex linea paterna amplius non habetur *Menoch. d. loc. n. 47.* quo sensu etiam à Labeone Soror dicitur, quasi seorsim nata, separataq; ab eadomo, in qua nata est, *Aut. Gell. libr. 10. Noct. Attic. cap. 13.* Interdum tamen foeminae ex nobili familia ortae, ad originis memoriam, familiae suae nomen retinent, quod tamen per delationem ad heredes conservare, & quasi perpetuum facere non possunt, cum mulier familiae suae caput & finis sit, *l. 166. §. ult. ff. de verbor. signif.* ibiq; *Gæddæus*, cujus rei rationem, ex fabula antiqua petitam, vide apud *Job. Coras. Miscellan. Jur. libr. 1. cap. 15.* plura hac de re vide apud *Tiraquellum de LL. Connub. l. 1. n. 29. 30. 31. Hoping. dict. tract. cap. 7. §. 1. n. 37. & §. 8. n. 343.* Generaliter deniq; censuram falsi non meretur, qui nomen suum mutat aut joco, aut ut se tutius ex aliquo periculo liberet, aut sibi citra alterius detrimentum proficit, aut pro defensione sua, amicorum & rerum suarum, aut ad fallendum hostes, quia coram iis mentiri licitum est, *l. 1. ff. de dol. malo. Damboud. prax. rer. criminal. cap. 123. n. 11. Bontfac. de Vitalin. de malefic. tit. de poena mutantis sibi nomen n. 2. & 3.* Et hæc de regula ipsa, ejusdemq; ampliationibus, dicta sufficiant.

XIV.

Procedimus nunc ad alteram constitutionis nostrae partem, quæ, ut jam supra dictum, propositæ regulæ limitationes & declarationes continet, quarum prima est, quod nominis mutatio non procedat in Servo, & quidem ex hac ratione, quod alias servus fugitivus à Domino amplius reperiri non possit, & ita in ejus præjudicium hæc mutatio fiat, *Menoch. arbitr. Jud. quest. lib. 2. cas. 318. n. 18.*

B 2

Boni-

Bonifacius de Vitalin, dict. tit. de pœn. mut. sib. nom. n. 1. in fin. Felin. in procem. Decretal. n. 37. Salicet in d. l. un. C. de mut. nom. Servienim nomen in Domini potestate est, non servi. Qua de causa & libero homini, in servitatem redacto, Dominus mutat nomen. Cujac. ad l. nostr. un. C. de mut. nom.; Et constat alias, servum, cum neq; patrem, neq; familiam, neq; genus habeat, solo simplici nomine, quod à Domino pro arbitrio imponitur, Gothofr. in not. ad l. 13. pr. ff. ad L. Cornel. de fals. lit. f. contentum, cognomine uti non posse, l. 9. C. de liberal. caus. Refert & huc Chasfaneus dict. tract. part. 1. consid. 38. conclus. 33. & ex eo Menoch. & Hoping Notarios, quod scilicet iis, ad avertendas fraudes, nominis mutatio permessa non sit, forsan ex ea ratione, quod Notarii servi publici sint, arg. l. 2. ff. rem pupilli salv. for. & l. 18. ff. de adopt. ita appellati, non quod servilis sint conditionis, sed quod omnibus, munus ipsorum implorantibus, servire debeant.

XV.

Limitatur secundò regula nostra, ut locum non habeat, quando dolo malo in præjudicium alterius nominis mutatio fit. ad L. enim Cornelæ de falsis pœnam redigitur is, qui dolo malo sibi novum nomen imponit, d. l. un. C. de mut. nom. Bonifac. de Vitalin. d. tit. de pœn. mut. sib. nom. n. 1. Dambouder in prax. rer. crim. cap. 123. n. 10. Variis autem modis fraudulenta hæc mutatio contingere potest, quos omnes recensere, dissertationi nostræ præscriptus modus non patitur. saltem aliquos adduxisse sufficiat, quorum Primus est, quando quis cum alio contrahens aliud sibi nomen, quam quod reverà habet, imponit, ad hunc effectum, ut ex instrumento obligatorio conventus, se exceptione tueri possit, se non esse eum, qui in instrumento dicatur promississe, Felin. in procem. Decretal. n. 37.

Alter

58

Alter casus est, quando quis obscuro loco natus, fraudulenta nominis mutatione, nobili alicui familiae se inferre conatur, ut ita sub titulo cognationis ab aliis, vel ejusdem, vel alterius familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud quicquam emendicet, vel alio modo eosdem fallat. Quale falsum anno 1615. vagabundus quidam homo commisit, qui se Emanuelem Phocam, Palatinum Constantinopolitanum nuncupans, & ex familia illustri Graecorum Imperatorum natum jactans, ad jumentum intercessionum, quas ab Imperatore astute impetraverat, in plurimorum principum Imperii aulis, & civitatibus ingentem pecuniae summam collegit, & emendicavit; cui postea, ob delicti gravitatem, gladii poenam dictaverunt Scabini Lipsienses. Qui itidem anno 1629. Mens. Martio foeminae cuidam plebejae, quae, ex nobili familia se natam & bonis spoliata jactans, mutato nomine a Nobilibus pecuniam emendicaverat, poenam temporalis relegationis indicere non dubitarunt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2. quest. 93. n. 40. qui etiam sequenti num. 41. adducit exemplum Carnificis, qui assumpto nomine Advocati cujusdam se pro agnato ejus publice jactaverat, quem postea detecta fraude Sabaudiae Senatus virgis coedi, & exilio mulctari jussit. Pertinent & huc exempla relata a Valer. Maxim. libr. 9. c. 15.*

XVI.

Alius adhuc casus est, quando quis, personam suam plane dissimulata, nomen suum mutat, & se pro alio supponit, cujus quamplurima apud Historicos aliosque scriptores extant exempla, inter quae notissimum est illud Plautini Jovis, qui assumpta forma Amphitruonis, adversus Teleboas militantis, nocte quadam, velut e bello reversus, cum Alcmena concubuit. Plura vide apud Johannem

Corasium, in annotationibus suis ad Arrestum Parlamenti Tholosani, continens prodigiosam Pseudo Martini Galh historiam, cujus argumentum, & summariam facti narrationem, cum ad dilucidationem dissertationis nostræ non parum faciat, ex ipso Corasio hic adducemus. Martinus Gverra, genere Vasco, patria Artigatensis, cum formosam puellam, nomine Bertrandam Rolsiam in conjugem duxisset, in militiam abit, & domo annos octo abest. Post illud tempus Arnoldus quidam Tillius, ad ipsius Martini, (quem se esse simulabat,) sorores, patruum, atq; adeo uxorem ipsam accedit; quibus ob maximam amborum similitudinem, & vera indicia, quæ de rebus omnibus prodebat, facile persuadet, se eum esse, quem predicabat, nempe ipsum verum Martinum Gverram; Ita fit, ut pro Martino à toto etiam populo agnitus, ab ipsa quoq; Bertrandam admittatur; cumq; eam consuetudinem per triennium habet, & ex ea duos liberos suscipit. Orta postea quadam impostura suspicione, dies illi apud Prætores Regiensem dicitur, à quo in carcerem conjectus, tandem capite damnatus, ad Senatuum Tholosanum provocat. Eo adductus iudicio se defendit pergit se eum esse affirmare, quem antea dixerat, confirmantibus id quatuor sororibus, earumq; maritis, qui veri Martini erant sororii, simulq; triginta aut quadraginta numero testibus. At verò cum multi contra extarent, qui partim eum esse Arnoldum Tillium asseverabant, partim ambigebant, ut neutrum propter summam illam similitudinem, affirmare possent. Senatores non parva difficultate afficiebantur. Cum autem iudices jam in consilium mittendi essent, ipse Martinus Gverra advenit, qui tamen cum adulterino collatus, propemodum convictus haberet. Ad hoc impostor ille melius mendacia sua fucare callebat, quam hinc veritatem tueri. Ibi iudices multò quam dudum incertiores, sorores & aliquos è testium numero accersunt, à quibus tandem Martinus verè agnoscitur, & fallacia prorsus innotescit, & ipse deniq;

deniq; Tillius totam rem aperit & confitetur. Quapropter Arrestum à Senatu in hæc verba editum fuit. Viso processu, habito coram Pratore Regiensi, contra Arnoldum Tillium, cognomento Pansetam, sepro Martino Guerra gerentem, nunc in custodia Palatina detentum, ab ipso Pratore provocantem, sententia Amplissimi Senatus est, causa totius acta omnia, unà cum ipsa Rei provocacione annullanda esse. Ad debitum porro supplicium irrogandum, quo expietur impostura, Crimen falsi nominis, & persona suppositio, adulterium, raptus, sacrilegium, plagium, furtum, cæteraq; crimina ab ipso Tillio reo incarcerato commissa, quæ omnia ex ipso processu resultant, Senatus hominem ignominiosa hac mulcta damnavit, atq; etiamnum damnat, ut ad fores Ecclesie Artigatensis, genibus flexis, indusio tectus, capite aperto, pedibus nudis, resti collo innexa, tædam ceream accensam manibus tenens, veniam à Deo, Rege, Patribus, Martino Guerra & Bertranda Rolsia conjugibus petat, deinde carnifici in manus traditus, ab eo per plateas & compita Artigati circumductus resti collo revinctus, ante ipsius Martini ædes ducatur, ibiq; patibulo, quod ejus rei gratia erectum illic fuerit, appensus stranguletur: postremo cadaver comburatur. Censuit insuper Senatus certis causis ad id adductus, ut bona ipsius Tillii, filia, quam ex Rolsia suscepit, edicto possidenda tradantur, sicutamen, ut litis impense prius detrahantur. Porro Martinum, Rolsiam, & Petrum Martini patrum foro & lite eximit. Tillium deniq; reum ad Pratorem Regiensem remittit, cui Executionem rei judicæ, forma & verborum ordine præscripta faciendam, mandat ac committit.

XVII.

Propter affinitatem deniq; quam cum nomine tituli & insignia habent, & hanc falsi speciem addere lubet, quando quis se falso pro milite gerit, vel illicitis insignibus utitur, l. 27. §. ult. ff. ad L. Cornel. de falsis: ut & hanc, quan-


quando quis se Doctorem, vel Notarium esse mentitur, vel falsis ac mentitis officiis abutitur, aut sibi alios titulos dignitatum, quàm reverà habet, assumit, *Dambouder prax. rer. criminal. cap. 123. n. 10. in pr. Felin. in proem. Decretal. n. 37.*

XIIX.

Colophonē dissertationi nostræ imponet quæstio, quæ nā pœna nomen suū dolose mutanti infligenda sit? Diximus a. jam supra *l. 15.* ad L. Corneliæ de falsis pœnam redigi eum, qui se ipsum dolo malo adoptat, quæ & sententia est J. Cti Papiniani *in l. 13. pr. ff. ad L. cornel. de falsis*, ubi dicit, falsi nominis, vel cognominis mutationem pœnâ falsi coerceri: Quænam verò falsi pœna fit, non ad eò liquet. Olim eam fuisse in servo ultimum supplicium, in libero verò homine deportationē, & bonorum publicationē, patet *ex l. 1. §. ult. ff. ad L. cornel. de falsis*. Quia verò publicatione hac sublatâ, damnatorū bona *in Antb. bona damnat. c. de bon. proscript. ascendentibus & descendentibus* (verba; *ex latere venientes*, quæ ab Irnerio *l. 10. hic adduntur*, admittenda non sunt, cum *Nov. 134. cap. ult.*, ex qua *Antbent. hac desumpta est*, cujusq; titulum præfert, eorum, qui ex latere veniunt, mentionem nullam faciat, sed descendentes tantum & ascendentes usq; ad tertium gradum vocet, *Dn. D. Bic. Rer. Quosid. pr. eloq. l. 15. lit. g. Perez. in Codic. tit. de bon. proscript.*) à Justiniano restituuntur, exceptis casibus ibidē definitis, & tam de Jure Civili, *l. 21. §. ult. ff. l. 12. in fin. c. ad L. Cornel. de falsis*, quam secundū *Ordinat. criminal. Caroli V. Imp. artic. 112. 113. 115.* falsi pœna pro qualitate admissi extendi potest, meritò concludimus: sicut alios falsarios; ita & nomen suū dolose mutantē, juxta diversitatē casuum, qualitatem falsi & damni dati, vitâ, exilio, fustigatione, vel etiam damni restitutione puniri posse.

TANTUM,
SOLI DEO GLORIA.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]





quando quis obscuro loco natus, fraudu-
 tatione, nobili alicui familiae se infere-
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-
 familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.
 1615. vagabundus quidam homo co-
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-
 cupans, & ex familia illustri Graecorum
 iactans, adjumeto intercessionu, quas
 te impetraverat, in plurimorum prin-
 s, & civitatibus ingentem pecuniae
 & emendicavit; cui postea, ob delicti
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-
 no 1629. Mens. Martio foeminae cui-
 , ex nobili familia se natam & bonis
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-
 , poenam temporalis relegationis in-
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-
 assumpto nomine Advocati cujus-
 ejus publice jactaverat, quem postea
 iudicis Senatus virgis coedi, & exilio
 tinent & huc exempla relata a *Valers*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-
 nem suam mutat, & se pro alio suppo-
 ma apud Historicos aliosq; scripto-
 inter quae notissimum est illud Plau-
 pta forma Amphitruonis, adversus
 nocte quadam, velut e bello rever-
 concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4

